

Heinrich Rudolph Redecker


Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker D. & P.P. Ad Acerbissimam Domini Servatoris nostri Jesu Christi Passionis memoriam devote colendam & ad fugienda Bacchanalia Omnes & singulos Academiae Cives sedulo & severe hortatur

Rostochii: Kilius, 1661

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733982468>

Druck Freier  Zugang





T. 512

1661. Ost.


A 1256. 4.

1661.
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HEINRICUS RUDOLPHUS
Kedeker D. & P.P.

Ad
Acerbissimam Domini & Serva-
toris nostri JESU CHRISTI Passionis
memoriam devotè colendam & ad
fugienda

BACCHA- NALIA

Omnes & singulos Academiae
Cives sedulo & severè hortatur.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1661.

M. 1236⁴



RECTOR UNIVERSITATIS ROSTOCH.
HEINRICUS RUDOLPHUS *Rediker*
Civibus Academicis

Salutem!



Undum trimestre temporis
spatium præterit, quando ad
sacras cunas salvatoris & ser-
vatoris nostri Jesu Christi
adorandas vos invitavi. Ubi
plenus gaudio, nihil amabi-
lius, suavius vel salutaris vo-
bis exhibere vel describere
potui, quam lætam ejus nativitatem, à cujus auspi-
cio sempiterna nostra salus dependet. Siquidem
stupendo nexu natus erat Deus in carne, & quiesce-
bat à virgine conceptus & editus in cunis, seu potius
durissimo præsepi, qui erat Creator & Dominus to-
tius mundi. Ubi meritò ad tam stupendi mysterii
sacrum mecum exclamastis. *O profundas divitias sa-
pientiæ & scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt ju-
dicia & investigabiles viæ ejus!* Jam quæso mecum
per

per lacrimosam tanti Domini passionem & mortem
ice, & bachantium circa hoc anni tempus detestan-
dos mores cane pejus & angue fugite: Ne tā atrocis
& insolentis parricidii sceleris in Deum commissi,
ac præsudato sanguine deplorandi, vos reos faciatis,
& Dominum mundi in sana & vagæ libidinis asotia
cruci affigatis. Uti enim vobis salutare fuit & au-
ditu jucundum, quando Deus homo natus & ver-
bum caro factum est; ita magis luctuosum vobis esse
debet, triste hoc spectaculum, quo nullum tristius
vel præterita ætas vidit, vel futura videbit. Perso-
nant jure piorum voces suspiriis, gemitu & dolori-
bus exquisitissimis; quando in jus rapitur, qui est
omnis justitiæ fons & ipsa justitia; accusatur, qui ab
omni scelere & iniquitate est purus; damnatur, qui
de nullo crimine est convictus vel confessus; Cæ-
ditur virgis, qui nullam meritis reprehensionem; In-
famosam crucem tollitur, qui ad dextram Dei se-
dem habet ab æterno. Quis ille, qui micam habet
Christiani salis, & guttulam puri sanguinis, jam se
ingurgitaret, quo tempore olim Christus jejunium
suscepit? Quis commestationibus intempettivis in-
cumberet totus, quo tempore Christus ad profun-
dendum sanguinem suum preciosissimū se præpara-
vit. Sicut enim festum Bacchantiorum helluationi-
bus, epulationibus, inneptiis & ludis obscænis, stoli-
dissimis gentibus fuit gratū, ita nos à tantis & tam ef-
frenis

frenis debacchantium libidinibus debet deterre-
re Salvatoris nostri passio. Et quæ Ethnicorum fue-
runt Bachanalia illicito gaudio repletissima, illa no-
bis esse debent Passionalia devota, & ab omni fastu
remotissima. Nā si vocē præsentis temporis intuea-
mur dicitur *Faschnach* quasi *Fastennacht* propter vitæ
religiosam continentiam & temperantiam, cui om-
nibus modis præcipue studendum, quando JESU
CHRISTI dolores horribiles, flagella amara, &
verbera immerita, quæ innoxium ejus corpus di-
scerpere pie intuemur. Sunt enim, non inter Genti-
les, qui verū Deum ignorant, tantū, sed etiam inter il-
los qui se Christi sanguine redemptos gloriosius ja-
ctant, quā verè sunt & Christi nomē nec verā fide pro-
fitentur, nec puro ore ostendunt, qui *Faschnacht* à vase
vel vinario vel cerevisiario deductum non tantum
voce clamant, verū & re ostendunt: Quare hoc an-
ni tempore, quod etiam memoria sacrum esse debe-
bat, insolenti splendent apparatu, omnia & sacra
& prophana bestiali permiscet boatu, gulæ & ven-
tri inserviunt, diaboli specie personati circumcursi-
tant, nullum nisi cum cibo immodico, & potu con-
tinuo negotium exercent. A quibus omnibus meli-
ori jure discedunt illi, quibus pulcrum est Christi
crucem, in qua mactatum est venerabile cœli depo-
situm, piis meditationibus intueri, quibus glori-
osum videtur cum Christo ire in Golgotham & cru-
ci igno-

ei ignominiosissimæ submittere humeros, ultimam-
que videre infandæ ejus miseræ catastrophæ. Quid
enim homini Christiano magis convenit, quam Bac-
chanalia fugere & modesto ritu Deum patientem
pro salute hominum colere. Uti enim Bacchanalia
ex gentiliū in somniis nata, multis seculis antecē-
dunt Christianorū passionalia, & ita antiquitate sunt
magis clara, ita absurda magis & detestabilia inter
Christianos esse debent. Nullus siquidem in omni
antiquitate receptior aut insanior fuit cultus, præ sa-
cris Bachi, nam Bachanalia (quæ *liberalia* quod li-
berioribus haustis à curis liberent, *Natal.com. l. 5 c. 13.*
& *Διονύσια*, ridiculâ quamvis & facetâ quorundam ety-
mologiâ, græce vocantur) annis ferme bis mille ante
natū Christum in Græcia sunt instituta, ab illis postea
in Romanos derivata, & tandē etiam ab his, ad Ger-
manos translata, & ita non in nostras duntaxat re-
giones, sed etiam in ultimâ septentrionis plagâ mos
Bachi introductus est, cujus originem, turpitudinem
& insaniam Livius describit his verbis: *Græcus*
ignobilis in Ethruriam primum venit, nulla cum arte ea-
rum quas multas ad animorum corporumq; nobis erudi-
tissima omnium Gens in-vexit; sed Sacrificulus & Va-
tes, nec is qui apertâ Religione propalam, & questum &
disciplinam profitendo animos errore imbueret, sed oc-
cultorum Antistes sacrorum. Initia erant quæ primò pau-
cis tradita sunt, deinde vulgari cæpta per viros mulieresq;
additæ

addit & voluptates Religioni, vini & epularum quo plurimum animi allicerentur: Hisque feitis, sublato omni pudore misti cum mulieribus viri per Urbem cursitabant, cœlumque horrendo mugitu replebant; successu tamen temporis per totam Italiam abolita fuerunt, ut testatur idem Livius: *Senatus, consulto cautum est ne qua Bacchanalia Roma neve in Italia essent, si quis tale sacrum solemne, & necessarium ducerent, nec sine religione & piaculo se id omitttere posse, apud Urbanum Prætorem profiteretur, Prætorq; super eo Senatuum consuleret.* Fingunt autem Poetæ patrem Bacchi Jovem esse, qui assumpta serpentis forma Proserpinam inferni Reginam compresserit, unde Bacchus natus. Quæ, quamvis ficta gentilium effata vel potius vaga somnia credamus, attamen fictis illorum opinionibus veritatem rei inesse omnes videmus. Illa enim quæ in fictitiis Bacchi sacris occurrunt & corruptis mundi filiis præclara vel jucunda potius esse videntur, omnia ex diabolo ceu bacchi patre esse progenita apparent. Non enim, qui ex patre diabolo & matre infernali Regina natus est, aliud, suæ memoriæ festum relinquere potuit, quam præstigiis diabolicis plenû: juxta antiquum illud: *Gentium festa Demonia.* Nam uti Bacchus, quemadmodum insanæ gentilium opinionum placet, egregia proles est egregiorum parentum, quoniam pater serpens antiquus, & mater inferorum seu damnatorum Dea est, ita filios in eandem naturæ

naturæ legem ad optatos relinquit. Cum illi qui præter morem Christianum vel Christianis dignum larvati circumcursitant, diabolico nexui se mancipent. Inde Satanas aliquando personatam & larvatam mulierem obsedit, seq; hisce excusavit: *Iuste feci, quia in meis inveni.* Et sicuti belli Dux omnes milites suo imperio subjectos putat, qui signo suo sunt notati: Ita Diabolus suo regno ascriptos credit, qui speciosam imaginem humanæ naturæ ultro abjiciunt, & ejus apparatus induunt. Quid enim aliud faciunt larvati & personati illi erronei & satyri, quam ut honestati infidentur, & omnia scelera noctu & interdiu moliantur & perpetrent. Propter faciem enim apposititiam quam Maskam vocamus omnia flagitia impune committunt. Unde optimo jure à Francisco I. Gallia Rege constitutum est, ne quis personatus vel larvatus per urbes vel agrós vagari audeat, gravissimo supplicio temeratoribus dictæ constitutionis indicto. Quamvis hodiè in Gallia, & aliis Rebus publicis passim nefandi Bacchanalium cultores, circa hoc tempus, ubi Christus se ad mortem pro genere humano subeundam præparat, non sine scandalo videantur. In Bacchanalibus Romanis, uti *Blondus in Roma triumph:* scribit: infanz Bachæ vel Moenades juvenibus juncta nudæ ferè dissolutis capillis, & pampinis coronatæ circumcursitabant, publicè vociferantes *Jo Bache!* Ideo autem personati erant illi circumvagantes moriones, ut omnem effrenatæ libidinis actum eo tutius perpetrarent. Quorum tamen malitia tandem publica lege severe prohibita est. Verum hodiè proh dolor! nihil fere discessum est à Gentilium illa insana mascara, quando homines Bachi succu inquinati, sæpè, ex conniventia Magistratus, quod tñ dolendum est antiquos & fœdos illos bestiales & vitiosos mores exercent. Cum tamen sciant vel scire debeant, quod primus simu-

lata

lata veritatis author sit ipse Sathanas, qui indutus serpentis speciem, primam Matrem Evam cum totius humani generis periculo & jactura seduxit: Quique hodiernum tanquam Leo rugiens circumit, ut homines decipiat, & in sua tela trahat. Anglia in tanto malitiæ & libidinis strepitu præprimis laudatur, quod omnem Bacchanalium luxum, capitali supplicio prohibuerit: Neque immeritò! siquidem nulla via omnia scelera expediendi paratior, quam si personatis & incognitis, sub specie lætitiæ omnia flagitia, impune perpetrandi præbeatur anfa. Ubi enim lascivior occasio scortandi, assassinii, latrocini, & aliorum criminum committendi, quam si sub assumpta specie omnia sint simulata & ascititia? Quodnam majus incentivum otian-di? quam quando fides calet in culinis, requies est in cursu, delictum in scurrilicis actionibus, charitas fervet in cibo, & potu, & tota spes est in helluationibus & asoria. Nonne insanum est & à Christiano alienum, Baccho, quem Gentiles diabolo similem depinxerunt, moribus & specie exteriori sequi? Nostrum itaque erit *Cives optimi* gentilibus suas relinquere festivitates, & cruentum passionis Christi mysterium intueri. Dedecus enim est & contra omnem honestatis rationem, Christum mori & hominem cujus causa mortuus est, lætari. Indignum est Christum esse in patibulo, & hominem in convivio, Christum in convitiis & hominem in deliciis. Bachantes larvati sequuntur diabolum quem vivis coloribus præsentant, sequamur nos Christum crucem gerentem, & ad ejus passionem oculos convertamus. Contemnamus perituri gaudia mundi, & puro corde expectemus mansuri gaudia cæli.

Dabam sub Sig. Rect. 23. Febr.

Anno 1661.

